

num ipsius, quæ ad meam famem sedandam spectabant, depromere poteram; inprimis cum Mihi alij studio destinato, his non nisi per ocium & sine sumtu, vacare liceret: itaq; nullibi non hærebat aqua. Atq; id malum mihi cum alijs, qui simili mecum amore divinisimarum harum scientiarum flagrabant, commune erat.

Quin imò, si qui maximè erant, quos melius Fatum respexerat, eosq; intra adyta Matheseos adduxerat, ij, quæ sciebant, non minus accuratè, quàm aureum vellus, aut sacra Eleusinia servabant, nec sibi nec alijs fideles.

Cum Ego autem illud monitum semper sanctum habuerim, & dignum, quod in omnium oculis sit, quicumq; aut operam suam studijs juventutis formandis locant, aut in arte vel scientiâ quacunq; posteris commodare cupiunt, præfigi debeat:

*ἔστι μυστῶν θεράπωντα καὶ ἄγγελον, εἴτι περισσὸν
εἰδεῖν σοφίης μὴ φθονερὸν τελέθειν.*

Nolui Ipse hac in parte officio meo deesse: sed eam potius operam dedi, ut, quod olim quasi vovi, id hoc in Libro effectum darem.

Nec est, cur quis Me has meas cogitationes majoris æstimare putet, quam Eorum, qui ante Me de eadem materia scripserunt. Id saltem puto quemvis, qui hæc legerit, intellecturum, me omnia quæ ad Doctrinam Triangulorum in EUCLIDE spectant eo

⋮ 3

consilio